

»hoc siquidem fecit Sapientis dictum: parata sunt derisoribus judicicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.»

Benedictus XII (1) docet: «Definimus insuper, quod, secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur:» mala ergo physica potest Deus velle et causare.

65. 2.º Ex sacris Litteris aperte constat. In primis ordinavit Deus tum plantas, tum animantia in cibum hominum et aliorum animalium, quod sine malo physico non efficitur. Item, totum orbem aquis demersit; quod ingens fuisse physicum malum, quis dubitet? Job aiebat (2): *Quis det, ut quod exspecto tribuat mihi Deus? et qui coepit ipse me conterat, solvat manum suam et succidat, et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti?* De Jesu autem Salvatore dixit Isaias (3): *Dominus voluit contere eum in infirmitate.*

66. 3.º Hieronymus (4) ait: «Perspicuum est divitias et egestatem, sanitatem et languorem, voluptatem atque cruciatum, nec bona esse nec mala; sed pro sustentium diversitate bona et mala fieri.» Ergo potest Deus mala physica intendere, bonis quidem in bonum ipsorum, malis autem in poenam et correctionem. Item, Augustinus ad pulchritudinem spectare universi et hominum utilitatem mala ejusmodi physica docet: «Ita sese habet etiam temporalium naturarum infima pulchritudo, ut rerum transitu peragatur et distinguatur morte nascentium... Quod autem in ejus pulchritudinis parte laboramus, cum nos fluentia deserunt temporalia quae diligimus; et peccatorum poenas luimus, et sempiterna diligere commonemur» (5).

67. d) Pars IV, prob. quae doctrina est certa et catholica.

1.º Concil. Carisiacum I decrevit (cap. I.): «Deus perituros praescivit, sed non praedestinavit: poenam autem illis, quia justus est, praedestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei praedestinationem tantummodo dicimus, quae ad donum pertinet gratiae aut ad retributionem justitiae.» Conc. etiam vide Arausicam. II, Supra (n. 62): si enim aliquibus Deus poenas et damnationem intenderet, exinde non solum ad malum poenae ab aeterno eos praedestinasset, sed etiam ad malum culpae; absque culpa enim poena esse non potest. Hoc autem quam detestabile sit, et divinae repugnans bonitati, Synodus testatur Arausicana.

68. 2.º Testantur quoque Scripturae (6): *Nolo mortem impii, sed*

(1) Constit. *Benedictus Deus.* — (2) VI, 8-10. — (3) LIII, 10. — (4) In Isai. LV, 2. — (5) *Cont. epist. Manich.* n. 47. — (6) Ezech. XXXIII, 11.

ut convertatur et vivat: et rursus: *Non tardat Dominus..., sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (1). *Et miserationes ejus super omnia opera ejus* (2): punire ergo non intendit directe Deus, sed, consequenter ad culpas praevisas, poenas vult irrogare.

69. 3.º Ad rem Augustinus (3): «Omnis poena, si justa est, peccati poena est, et supplicium nominatur: si autem injusta est poena, quoniam poenam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia dubitare dementis est, justa haec poena est, et pro peccato aliquo penditur.» Hieronymus autem ait (4). «Inimicum non ut crudelis suscitatur Deus, qui eum quasi punire desiderat.» Ad hanc siquidem amentiam nonnulli pervenerunt, ut putarent cupere Deum punitiones ad justitiam ostendendam.

Denique, si ex ratione arguere velis, optimam tibi exhibet Augustinus nuper laudatus.

70. Obj. in I.º partem. Mala, quae a causis fiunt necessariis, a Deo etiam efficiuntur. Sed plurima efficiunt mala causae necessario operantes; quaedam enim animalia aliis pascuntur; aegritudines etiam, terremotus, tempestates innumera occidunt viventia; ergo Deus plurimorum malorum est causa efficiens.

Resp. Dist. maj. A Deo efficiuntur, id est; *disponuntur;* ut supra loquitur Augustinus (n. 60); conc. *maj.* Efficiuntur *proprie;* nego.

Scilicet, causae naturales *directe* aliquid efficiunt in rebus, unde praexistens alicujus formae defectio consequitur: quod autem deficit non *fit,* sed desinit esse.

Obj. 2.º Cogitationes turpes et inductivae ad peccandum sunt malae et inhonestae. Atqui plurimae fiunt necessario: ergo a Deo efficiuntur plurima mala et inhonesta.

Resp. Dist. *maj.* Cogitationes... sunt malae, cum evadunt voluntariae; conc. Cum constituunt tantum libertatem in actu primo, ut illis voluntas libere resistat; nego *maj.* vel subd.; Sunt malae *denominative* ex consequenti abusu, vel tentantis prava intentione; conc...: sunt malae in se et absolute; nego *majorem.* Dein dist. *consequens:* a Deo efficiuntur, ut libere et meritorie resistat voluntas; conc. Ut turpia sunt et mala; nego *consequentiam:* aliud enim est cogitatio mali, aliud cogitatio mala: illa potest ex honesto fine intendi; haec autem numquam.

71. Obj. in II.º partem 1.º Christus *ductus est a Spiritu in de-*

(1) II Petr. III, 9. — (2) Ps. CXLIV, 9. — (3) *De liber Arbitr.* l. 1, n. 51. — (4) In Job. XLI, 1.

sertum, ut tentaretur a diabolo (1). Atqui diabolica tentatio futura erat moraliter mala; ergo potest Deus mala moralia intendere.

Resp. dist. *antec.* et explico: *ut tentaretur*, id est, ut ibi *permitteret* Christum a diabolo tentari; conc. *majorem*: quasi vellet positive diabolicam tentationem; nego *maj.* et *consequentiam*.

72. Obj. 2.^o Daemoni suggerenti cogitationes ad peccandum, sunt voluntaria hominum peccata; ergo et Deo sunt voluntaria, cum cogitationes et motus pravi a natura necessario procedunt.

Resp. Nego paritatem et *consequentiam*. Etenim daemon ex peccati intentione cogitationes causat, et malum suadendo; Deus autem ex boni desiderio, unde et gratiam confert ut meritum è probatione desumamus.

Inst. Non minus saepe alliciunt ad malum cogitationes pravae, quam consilium vel mandatum de malo efficiendo: atqui consulenti vel praecipienti, etiamsi fecte praeciperet, fiunt voluntariae actiones praeceptae; ergo et *inducenti* cogitationes pravas, fiunt voluntaria peccata.

Resp. Dist. *maj.* Non minus alliciunt, at *alio modo*; concedo *maj.*: non minus et *eodem modo* alliciunt; nego. Nam consilia et mandata ducunt morali modo et inducunt contemptum regulae moralis honestatis, utpote ad malum moraliter determinata: motus et cogitationes alliciunt physice.

73. Obj. 2.^o Qui vult actum, et vult quod eidem est necessario et intrinsece connexum. Sed Deus vult efficaciter actum malum *quoad entitatem*, cui *hic et nunc* est malitia necessario et intrinsece connexa; ergo vult Deus malum morale. *Majorem* evidentem supponimus: *minor* autem est thomistarum communis sententia.

Resp. Concessa *majori*, nego *minorem* quoad primam partem, nempe, velle Deum efficaciter *entitatem* actus mali; vult enim tantum eam permissive, quemadmodum et ipsius malitiam. Sane, dum actus elicitur sub malitiae ipsius cognitione et libere, est intrinsece et necessario moraliter pravus; ideoque si quis entitatem velit actus, vult quoque malitiam ejusdem.

74. Obj. in III.^m partem 1.^o *Deus mortem non fecit. Per peccatum mors* (2); ergo ubi non sit peccatum, dedecet Deum mala irrogare physica.

Resp. Nego *consequentiam*: loquitur enim Scriptura respectu justitiae originalis gratis a Deo concessae.

Inst. Bona omnia naturalia et physica, simul cum natura, a Deo singulis entibus donata fuere, et quidem propter suam Bonitatem (supra n.^o 47): ergo sibi et suae opponitur Bonitati, si mala physi-

(1) Matth. IV, 1.—(2) Sap. I, 13; Rom. V, 12.

ca intendat Deus; quod nefas est cogitare, juxta Apostolum (1): *Sine poenitentia enim sunt dona Dei*.

Resp. Dist. *antec.* Donata sunt singulis entibus bona omnia physica, *cum ordine* tamen ad rerum universitatem et finem ultimum; concedo *antec.* Bona omnia donata sunt singulis entibus *absolute* perspectis; nego.

75. Etenim divinam sapientiam causam extitisse distinctionis et inaequalitatis rerum creatarum ostensum est (Thes. VI, n.^o 50); hoc autem posito ordine, sensus omnium gentium, imo animantium quoque instinctus, testatur; partes toti, inferiora superioribus, minora mala majoribus vitandis subservire debere. Sic plantae minus utiles utilioribus locum cedunt apud agricolas; inferiora animalia superiorum sunt esca, quisque partem sui, minus nobilem, ad nobiliorem tutandam libens contemnit: igitur mala ejusmodi physica minime adversantur, sed commendant potius Dei bonitatem. Praeterea corruptibilium et terrenarum rerum deficientia et morte, aeternarum et incorruptibilium, praesertim primae Causae et summi Boni, dignoscit homo perfectionem, indeque ad ea prosequenda inardescit; in quo extremum invenitur divinae sapientiae et Bonitatis, ut supra docet Nazianzenus (n. 35), mysterium.

76. Obj. 2.^o In malis plurimis physicis minime ejusmodi splendet Dei Bonitas: ergo a Deo intendi non possunt, et a malo orta fuere principio, ut Manichaeus contendebat. *Ant. prob.* Inter mala physica dolores plurimi, et quidem acerbissimi, adnumerantur. Atqui mala ista, etiamsi ordini morali, dum crimina vindicantur, utiliter subserviant; tamen in ordine physico, cui soli bestiae subji- ciuntur, nihil bonitatis inducunt; ergo crudelitatem non vero bonitatem in causa indicant, ideoque Deo adjudicari non possunt.

Resp. Nego *antec.* et ab probationem, nego *minorem*. Dolor enim facultatem consequitur sentiendi, quae animantium constituit naturam: dum enim sibi convenientia sentiunt objecta, delectantur; dum vero adversa percipiunt, torquentur; inde consequitur, ut bona sibi convenientia avidè prosequantur, mala vero diligenter caveant; dolor ergo ad bonum etiam ipsorum animantium refertur. Ast, cum superioribus naturis, ex nuper dictis, debeant animalia subservire; exinde quoque bonitas doloris est perpendenda, quae multimodis elucet: a) doloris enim aculeo adigit homo bestias ut sibi subjiciantur: b) discimus etiam dolorem sensilem effectum esse connaturalem naturae nostrae, non autem mutilationem aut monstruositatem; cum animantia, etiamsi non deliquerint, eidem sint adstricta: c) deinde cum videant homines animantia, non tantum

(1) Rom. XI, 29.

sensuum illecebris, sed doloribus quoque ordini rerum subjici et inservire; monentur et ipsi, tum delectamenta tum aerumnas ordinis physici ad moralem ordinem, longe excellentiorem, referre, nec non ad supremi Conditoris obsequium et subjectionem.

77. Obj. in IV partem. 1.º Poenae seu aerumnae in vindictam inflictæ delictorum, ostendunt Dei sanctitatem et justitiam. Atqui ad mundi spectat perfectionem quod divinam referat justitiam, cum Deus sit ipsius causa exemplaris; nec non ad hominum utilitatem, quod visis poenis, a peccatis avertantur; et humilitatem, cum inde addiscant, quorsum possit malitia eorum et infirmitas descendere; et ad Dei gloriam, cum exinde ejus eluceant perfectiones; ergo propter tot emolumenta potest Deus poenas intendere.

.Resp. Disting. *consequens*: potest Deus poenas intendere *consequenter* ad peccatorum absolute praevisam existentiam; concedo: *antecedenter*; nego *consequentiam*. Hoc enim concessio, et concedendum esset Deum velle et procurare delicta, in quae poenas intentas dictare valeat; quod absit cogitare. Imo, ipsis etiam positis et praevisis peccatis, mavult Deus parcere quam punire: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (1)

Apoge ergo, Calvinistae insani, qui, cum haeresiarcha vestro dicitis, Deum reprobos creasse ad damnationem, ideoque ad peccatum.

CAPUT II.

De Deo cum creaturis operante.

ARTICULUS I.

De Concursu Dei in actu secundo.

THESIS VIII.

Effectuum causarum secundarum est etiam Deus principium efficiens; non tantum quatenus eis virtutem agendi indidit, sed etiam quia imme-

(1) Ezech. XVIII, 23.

diate ad omnem cujuscumque causae actionem concurrat.

78. Nota 1.º Prima pars est de fide, et Manichaeorum deliramento, de duplici rerum principio, opponitur. Secunda autem adversus Durandum, quem omnes fere AA. temeritatis arguunt quod eam negaverit, est etiam certa; imo juxta Valentiam, Suarezium, etc. est doctrina fidei.

79. Nota 2.º Causa, generatim sumpta, est principium per se influens esse in aliud. Causa autem efficiens ea dicitur, a qua proprie actio oritur seu rei effectio: ceterae siquidem causae, ut formalis, finalis etc. non influunt in effectum per ipsam actionem. Unde causalitas, cum ad causam refertur efficientem, nihil aliud est quam ipsa actio: quae formaliter ipsum agendi seu causandi exercitium significat.

80. Nota 3.º Perspicuum est, actionem esse quippiam medium inter causam et effectum; ita ut impossibile sit actionem concipere, quin hinc cogites causam, inde effectum, et quidem formaliter; id est, sub ratione causae et effectus. Eadem ergo res, actio nempe, duplicem habet intrinsecum respectum: alterum ad suum principium, cui est in efficiendo ultimum et formale exercitium; dum enim non est actio, nihil influit, nihil agit, nihil efficit causa: alterum vero ad effectum, cui est in dependendo, seu exeundo a non esse, ultimum et formale determinativum. Pari enim omnino modo formaliter repugnat, *esse actionem* et causam non influere, seu causare; *ac esse actionem* et effectum non fluere, seu causari.

Ex quibus intelliges, respectum actionis, tum ad causam, tum ad effectum, esse transcendentalem, non vero praedicamentalem. Unde plane repugnat, quod *eadem actio* possit respicere nunc ad istam causam, nunc ad aliam; nunc ad unum effectum, nunc ad alterum. Etiam deduces, actionem transeuntem non perficere causam (1), sed potius illam supponit perfectam.

81. I.ª Pars patet 1.º Ex Constant. Symb. «Credo in unum Deum... factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.»

2.º Joan. (2). *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Apostolus (3): *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula; amen.*

3.º Ita omnes Patres, unanimi consensu. Sic Concil. plenarium Hispan.ª et Lusitaniae (a. 447): «Credimus in unum verum Deum... visibilium et invisibilium factorem, per

(1) D. Thom. I, p. q. 18, ad 1.ª—(2) Jo. I, 3.—(3) Rom. XI, 36.